

intervallum inter Gothicā atque Anglo-Saxo-  
nica , quantum inter Anglo-Saxonica & The-  
otisca deprehendunt in hoc studiorum genere  
disquirendo disceptandōq; exercitati elimatí-  
que. Collatis quoque speciminibus istis cum  
Alamannorum Anglo-Saxonūmq; dialecto , ita  
benè prosperēq; videbatur mihi processisse  
negotium , ut beatulorum omnium vicos &  
prata præ hac meā operā pro nihilo ducerem ,  
veluti clarissimis argumentis signisq; jam per-  
ductus ad ipsum caput fontemq; linguarum  
Septentrionalium : Francicam enim Anglo-  
Saxonicāmq; ex vetere Gothicā promanāsse ,  
ipsam verò Gothicam (ut quæ solā dialecto  
differat à Græcā vetere) ab eadem origine  
cum Græcā profluxisse judicabam . In his  
eram gaudiis , quum impendio mihi magis  
gaudere cœpit animus , ineffabili quadam pro-  
ximāq; majore voluptate delibutus ex repen-  
tino inexpectatōq; ipsius Argentei codicis

con-

conspectu. Habeo sanè quod Cœlo hīc im-  
putem ; siquidem intelligo immortalis Dei  
nutu memoratum Codicem ad manus meas  
perlatum , atque ejusdem quoque Numinis  
consilio provisum, ut Sacrosanctum depositum,  
Excellentia vestrâ authore , in Sueciam revo-  
caretur , interq; potissima Regiæ bibliothecæ  
decora reponeretur. Magnæ certè ac minimè  
vulgaris Prudentiæ fuit , sensisse meritum Li-  
bri paucis intellecti ; majoris Magnanimitatis ,  
securitati ejus consuluisse ; cumulatissimæ de-  
nique consummatisimæq; Virtutis , & sen-  
sisse & salvum voluisse. Atque adeò memo-  
riam divinæ huic virtuti Tua debitam , nullius  
unquam vetustatis abolebit oblivio ; sed me-  
ritissimam operæ navatæ famam non modò  
propagabit aletq; grata Posteritas , verùm ipsa  
quoque tuebitur Æterno verbo favens Æter-  
nitas ; quæ & Ipsa curabit , ne hæc Tua , Ma-  
gne Comes , laurea recentem ullo temporis  
in-